



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

LXV. Propst und Convent des Klosters Diesdorf verkünden die frommen
Werke, welche die Marienbrüderschaft und der Convent täglich begeht,
am 9. Oktober 1358.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

schalco et quam aliis plurimis fide dignis. Datum et actum anno domini M^o. CCC^o. quinquagesimo septimo, ipso sacro die et festo Jacobi apostoli gloriosi.

Gercken's Dipl. I, 445. 447.

LXV. Propst und Convent des Klosters Diesdorf verkünden die frommen Werke, welche die Marienbrüderschaft und der Convent täglich begehrt, am 9. October 1358.

Nos Johannes de Buc, dei gratia prepositus, Elyzabeth eadem gratia Priorissa totusque conuentus sanctimonialium in Dyistorpe ordinis S. Augustini, omnibus prefencia visuris et audituris orationum in Christo et pacis continuum incrementum. Scire cupimus uniuersos Christi fideles presentis temporis et futuri, quod nos ad instantiam proborum virorum ac seminarum ea, que sunt de gratia fraternitatis S. Marie, conscribi fecimus uniuersa, que cottidie per nostrum conuentum fiunt de clementia saluatoris. Agimus enim per singulas horas canonicas fratrum et sororum psalmos cum quindecim gradibus canentes, insuper septem psalmos legimus pro uiuis et septem psalmos pro defunctis. Agimus insuper omni die summis festiuitatibus tantundem exclusis uigiliis et missas pro defunctis. Legimus etiam singulis diebus duo psalteria cum quibusdam collectis ad eam pertinentibus, exceptis Sabbatis, in quibus tria psalteria complete cantamus. Seruamus etiam speciale officium in salutare remedium omnium fidelium defunctorum, uidelicet singulis sextis feriis, unum psalterium canentes infertis eidem psalterio seriatim triginta passionibus domini. Fiunt denique quedam specialia, in quibus fratrum et sororum memoriam agimus, uidelicet castigationes cottidiane, que in auribus singularum non sunt recitanda. Participantes insuper eisdem uniuersa et singula bona, que per nostrum conuentum amore dei seruitiis, castigationibus, jejuniis, uigiliis, missis et orationibus in nostro monasterio operari dignabitur clementia saluatoris. Omnes quoque fratres, sorores ac benefactores nostre fraternitatis et alii Christi fideles, qui ad nostram fraternitatem de bonis a Deo sibi collatis manus suas porrexerint adjutrices dummodo contriti fuerint et confessi, indulgentias mille et centum dierum de iniunctis sibi poenitentiis assecuntur. Et cum dies obitus alicujus eorundem nobis intimabitur, extunc quelibet persona nostri conuentus pro ipso cantabit septem psalmos et de uespere uigiliis, de mane missam pro defunctis noster conuentus pro nouiter defuncto, sicut presens staret idem defunctus, celebrabit. Et quicumque nostram desideraret fraternitatem ac se uniuersorum et singulorum honorum operum nostrorum esse participem, nobis faciet prout in sua conscientia operabitur gratia saluatoris. Damus etiam latori presentium quoslibet, qui se nostre fraternitati elegerunt, ob honorem dei et gloriose matris Marie aduandos recipiendi in eandem fraternitatem nostram auctoritate nostre ecclesie liberam facultatem. In horum omnium euidentiam ampliorem sigillum nostri conuentus presentibus est appensum. Datum anno domini M^o. CCC^o. LVIII^o. in die beati Dyonisii martyris.

Gercken's Dipl. I, 448—451.